

CONSILIUM AD EXSEQUENDAM CONSTITUTIONEM
DE SACRA LITURGIA

NOTITIAE

35

NOVEMBRI 1967

CITTÀ DEL VATICANO - PALAZZO SANTA MARTA



NOTITIAE

Commentarii ad nuntia
de re liturgica edenda cura
Consilii
ad exsequendam Constitutionem
de sacra Liturgia

« Notitiae » prodibunt semel in mense.
Libenter, iudicio Directionis, nuntium
dabitur Actorum, inceptuum, editionum
in re liturgica, praesertim e Coetibus
Episcoporum vel Commissionibus litur-
gicis nationalibus emanantium, si scripto-
rum vel periodicorum exemplar missum
fuerit.

Directio: Commentarii sedem habent in
Civitate Vaticana, Palazzo S. Marta, ad
quam transmittenda sunt epistolae, char-
tulae, manuscripta, his verbis inscripta:
NOTITIAE, Città del Vaticano

Administratio autem residet apud
Libreria Editrice Vaticana
Città del Vaticano

Pro commentariis sunt in annum solvendae:
in Italia lit. 2.000
extra Italiam lit. 3.000 (\$ 5)
singuli fasciculi veneunt:
lit. 200 (\$ 0,35)
Pro annis praecedentibus
singula volumina: lit. 4.000 (\$ 7)
id. linteo contexta: lit. 5.000 (\$ 8,40)
singuli fasciculi lit. 400 (\$ 0,70)

★

Libreria Editrice Vaticana
C.c.p. N. 1-16722

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

35

Vol. 3 (1967), n. 8

SUMMARIUM

De liturgia in prima Synodo Episcoporum

Chronica	353
Quaesita Pontificia . .	354
Quaesita generalia super schematibus de Missa et Officio divino	357
Animadversiones genera- les circa instaurationem liturgicam	363
Responsio difficultatibus	365

Studia

De Missa « normativa » .	371
--------------------------	-----

Acta « Consilii »

Summarium Decretorum quibus deliberationes Coetuum Episcoporum confirmantur	381
Summarium Decretorum quibus confirmantur in- terpretationes populares propriorum religiosorum	386

Actuositas Coetuum Episco- porum

Libri liturgici officiales: Regiones linguae hispa- nicae	387
Roma: Norme per la con- celebrazione nei Seminari e nei Collegi ecclesiastici	388

III Congressus Mundialis A- postolatus laicorum

De Liturgia in Congressu	390
De Reformatione litur- gica	394

Sacra celebratio ad Basilicam Vaticanam

402

SOMMAIRE

La Liturgie au Synode (pp. 353-370)

Du 21 au 25 octobre 1967, le premier Synode des Evêques a traité de la Liturgie, particulièrement de la Messe et de l'Office divin. 63 Pères sont intervenus, qui se sont exprimés au nom de leur Conférence épiscopale sur la réforme liturgique dans les différents pays, sur l'activité du « Consilium », sur les schémas proposés à l'examen et, en particulier, sur 12 points soumis au vote. Sont présentés dans ce fascicule:

- 1) la chronique de la discussion;
- 2) le résultat des votes avec les principales observations et propositions;
- 3) les observations de caractère général et les réponses du Cardinal Président du « Consilium », en particulier sur: le caractère *progressif* de la réforme, la *liberté* laissée aux Conférences épiscopales, les *expérimentations*, la *simplification* et l'ajustement des rites, les rapports entre la liturgie de la Parole et la liturgie eucharistique.

La Messe « normative » (pp. 371-380)

Le nom et la structure de la Messe « normative » ont suscité quelque perplexité. Avec elle, le « Consilium » n'avait pas l'intention de présenter une forme exclusive de Messe, mais une forme de *base* pour la structuration des autres formes plus ou moins développées, allant de la Messe pontificale à la Messe lue. La règle pour une Messe paroissiale ne peut pas être la Messe plus solennelle, mais non plus la Messe lue: on renierait par là tous les efforts du mouvement liturgique. La Messe « normative » est le point de rencontre de l'évolution des rubriques, qui va de la Messe pontificale à la Messe chantée, et du mouvement pastoral: de la Messe lue à la Messe pleinement participée.

Concélébration dans les Séminaires (p. 388-389)

Le Vicariat de Rome a établi quelques normes pour la concélébration dans les Séminaires et les collèges ecclésiastiques de la Ville. Ces normes peuvent aussi servir comme directives en d'autres lieux.

III Congrès de l'Apostolat des laïcs (pp. 390-401)

La célébration de la Liturgie a joué un rôle vital dans le déroulement du III^e Congrès de l'Apostolat des laïcs. Nous présentons les critères qui l'ont inspirée, quelques impressions suscitées et la synthèse des réponses envoyées par les Comités de coordination de l'Apostolat des laïcs en chaque nation sur la réforme liturgique.

Célébration sacrée à Saint-Pierre (pp. 402-408)

A l'occasion de la visite du Patriarche Athénagoras I^{er} au Saint-Père, le Secrétariat pour l'Unité des chrétiens, avec la coopération du « Consilium », a préparé une célébration sacrée, où est insérée une longue prière de louange et d'action de grâce.

RESUMEN

La Liturgia en el Sínodo (pp. 353-370)

Del 21 al 25 de octubre de 1967, el primer Sínodo de Obispos ha tratado acerca de la Liturgia, particularmente en relación con la Misa y el Oficio Divino. Intervinieron 63 Padres, que expresaron su opinión y la de las Conferencias Episcopales sobre la reforma litúrgica en los diversos países, sobre la actividad del « Consilium », sobre los esquemas presentados para su examen y, más concretamente, sobre los 12 puntos sometidos a votación. Este fascículo contiene:

- 1) la crónica del debate sobre el tema litúrgico;
- 2) el resultado de las votaciones, con las principales observaciones y propuestas;
- 3) las observaciones de carácter general y las respuestas del Cardenal Presidente del « Consilium », en particular: sobre la reforma *por etapas*, sobre la *libertad* que cabe conceder a las Conferencias Episcopales; sobre los *experimentos*, sobre la *simplificación* y *adaptación* de los ritos, sobre las relaciones entre la liturgia de la Palabra y la liturgia eucarística.

La Misa « normativa » (pp. 371-380)

El nombre y la estructura de la Misa « normativa » han creado cierta confusión. Con ella el « Consilium » no pretende presentar una forma de Misa exclusiva, sino una especie de *base* para la estructuración de las demás formas más o menos desarrolladas, desde la Misa pontifical hasta la Misa rezada. Para una Misa parroquial la regla no puede ser la Misa más solemne, pero tampoco la Misa rezada: esto último significaría que renegamos de todos los esfuerzos del movimiento litúrgico. La Misa normativa es el punto de encuentro de la evolución *rubricista*, que va de la Misa pontifical a la Misa cantada, y del movimiento *pastoral*, que va de la Misa rezada a la Misa plenamente participada.

Concelebración en los Seminarios (p. 388-389)

El Vicariato de Roma ha dado algunas normas para la concelebración en los Seminarios y Colegios eclesiásticos de la Ciudad. Pueden servir de orientación para otros lugares.

III Congreso Mundial del Apostolado de los laicos (pp. 390-401)

En el desarrollo del III Congreso Mundial del Apostolado de los laicos la celebración de la liturgia ha jugado un papel importante. Se exponen los criterios que la han inspirado, algunas reacciones significativas, la síntesis de las respuestas enviadas por los Comités de coordinación del Apostolado de los laicos en cada Nación sobre la reforma litúrgica.

Celebración Sagrada en San Pedro (pp. 402-408)

Con ocasión de la visita del Patriarca Atenágoras I al Santo Padre, el Secretariado para la Unión de los cristianos, con la colaboración del « Consilium », preparó una celebración sagrada que incluía una larga oración de alabanza y de acción de gracias.

SUMMARY

Liturgy at the Synod (pp. 353-370)

From October 21 to 25, 1967, the first Synod of Bishops discussed the liturgy, with particular reference to the Mass and Divine Office. 63 Fathers spoke, expressing their opinions and those of the Episcopal Conferences on the liturgical reform in their various countries, on the activity of the Consilium, on the schemas put forward for discussion, and in particular on the 12 points submitted to the vote. In this number we present:

- a) an account of the debate on the liturgy;
- b) the results of the voting and the main observations and suggestions;
- c) the general observations and replies of the Cardinal President of the Consilium, in particular: on the idea of reform *in stages*, on the *liberty* to be granted to the Episcopal Conferences, on *experiments*, on simplifications and *adaptations* of the rites, on the relationship between the liturgy of the Word and the Eucharistic liturgy.

The "normative" Mass (pp. 371-380)

The name and structure of the "normative" Mass have given rise to some misunderstandings. Far from excluding other forms, this Mass is conceived as the *basis* for the other forms of Mass: right from the Pontifical Mass through to the 'Missa lecta'. The ideal for a parish Mass cannot be the most solemn form of Mass, but neither can it be the 'Missa lecta': that would mean ignoring all the progress of the liturgical movement. The normative Mass is the meeting-point of the rubrical simplification seen when comparing sung Mass with Pontifical Mass, and of the pastoral progression seen in comparing the simplest form of 'Missa lecta' to a Mass with full participation.

Concelebration in Seminaries (p. 388-389)

The Roman Vicariate has issued norms regarding concelebration in the seminaries and ecclesiastical colleges of the city of Rome. They may serve as guide-lines for other places.

III World Congress of the Lay Apostolate (pp. 390-401)

The celebration of the liturgy played a vital role in the activities of the Third World Lay Congress. Here we give: the criteria according to which it was conducted; comment upon it; a synthesis of the replies concerning liturgical reform sent by the co-ordinating committees of the Lay Apostolate in each nation.

Celebration in St. Peter's (pp. 402-408)

On the occasion of Patriarch Athenagoras I's visit to the Holy Father, the Secretariate for Christian Unity, with the co-operation of the Consilium, prepared a sacred celebration in St. Peter's. One of the elements used was a carefully prepared prayer of praise and thanksgiving.

ZUSAMMENFASSUNG

Die Liturgie auf der Synode (s. 353-370)

Vom 21. bis 25. Oktober 1967 behandelte die 1. Bischofssynode die Fragen der Liturgie, besonders unter Bezugnahme auf Messe und Officium divinum. 63 Patres beteiligten sich an der Diskussion und gaben ihr Urteil ab über die liturgische Erneuerung in den verschiedenen Ländern, die Arbeit des « Consiliums », die vorgelegten Schemata und die 12 Punkte, die zur Abstimmung gelangten. Das Heft enthält:

- 1) Bericht über die Diskussion der liturgischen Fragen
- 2) Ergebnis der Abstimmungen und der wichtigsten Bemerkungen und Vorschläge
- 3) Bemerkungen allgemeinen Charakters und die Antworten des Kardinalpräsidenten des « Consiliums », besonders zur stufenweisen Verwirklichung der Erneuerung, den Bischofskonferenzen zu erteilenden Freiheiten, zu den Experimenten, zur Vereinfachung und Anpassung der Riten, zu den Beziehungen zwischen Wortgottesdienst und Eucharistiefeier.

Die « Missa normativa » (s. 371-380)

Name wie Struktur der « Missa normativa » haben einige Verwirrung hervorgerufen. Das « Consilium » will damit nicht eine Form der Messgestaltung vorlegen, die Ausschliesslichkeit beansprucht, sondern eine Grundlage für die Gestaltung anderer mehr oder weniger entwickelter Formen von der Pontifikalmesse bis zur « Missa lecta » aufzeigen. Die Regel für einen Gemeinschaftsgottesdienst kann weder die feierlichste Form noch die « Missa lecta » bilden; letzteres würde bedeuten, der Liturgischen Bewegung jede Gestaltungskraft absprechen. Die « Missa normativa » bildet den Berührungspunkt der rubrizistischen Entwicklung von der Pontifikalmesse zur « Missa cantata » und der pastoralen Bewegung, von der « Missa lecta » zum Gemeinschaftsgottesdienst.

III. Weltkongress für das Laienapostolat (s. 390-401)

Die Liturgiefeiern während des 3. Weltkongresses für das Laienapostolat hatten eine wesentliche Bedeutung. Die Kriterien für ihre Gestaltung, das bedeutende Echo, das sie fanden, seien hier mitgeteilt, wie auch eine Zusammenfassung der von den Koordinierungskomitees des Laienapostolates der einzelnen Nationen vorgelegten Berichte zur Liturgieerneuerung.

Liturgische Feierlichkeit in St. Peter (s. 402-408)

Anlässlich des Besuchs von Patriarch Athenagoras I. beim Heiligen Vater hat das Sekretariat für die Einheit der Christen in Zusammenarbeit mit dem « Consilium » eine liturgische Feier vorbereitet, in die eine Form von Lob- und Danksagungsgebet eingefügt wurde (Anaphoracharakter).

DE LITURGIA IN PRIMA SYNODO EPISCOPORUM

I. CHRONICA

Augusta dispositione Summus Pontifex statuerat ut « Consilium » proponeret Synodo Episcoporum tria argumenta disceptanda: De Ordine Missae, de Officio divino et de Sacramentis.

De his omnibus, necnon *De statu instaurationis liturgicae* aperta et ampla expositio facta est in libello, cui titulus *Argumenta de quibus disceptabitur in primo generali coetu Synodi Episcoporum*, pars prior, p. 25-57.

Episcopi tempore opportuno illum acceperunt, ut in Conferentiis communi consilio decernere possent, et sic Episcopi delegati mentem collegarum ad Synodum referre valerent.

De Sacramentis in praedicto libello indicata sunt tantummodo schemata, parata vel quae experimento subiciuntur (p. 57). Nec aliter fieri fas erat. Nam singula Sacramenta habent quid peculiare, dum principia generalia instaurationis iam nota sunt ex Constitutione conciliari de sacra Liturgia, capite III, et ex Instructione S.R.C., *Inter Oecumenici*, diei 26 sept. 1964, nn. 61-77. Nihil proinde novi deferri poterat ad Synodum.

Quoad Missam vero et Officium divinum expositio data in *Argumentis* et Relatio Em.mi Card. Iacobi Lercaro, « Consilii » Praesidis, ad Synodum, talem descriptionem praebuerunt, ut Patres ideam sat completam haberent de instauratione perficienda.

Relatio Em.mi Card. Lercaro lecta est coram Patribus die 21 octobris 1967, initio examinis schematum de sacra Liturgia. Statim post Relationem lectum est etiam « Supplementum ad Relationem de sacra Liturgia », quod continet expositionem « de novis precibus eucharisticis et formulis consecrationis in iis adhibitis, atque de formula professionis fidei in Missa » (Cf. *Quaesita Pontificia*).

Hae quatuor quaestiones, a « Consilio » approbatae, delatae fuerant, uti moris est, Summo Pontifici, Qui, tamen, ad Synodum illas remisit ut Patres mentem suam de illis aperirent. Cum vero de his quaestionibus « pontificiis » Episcopi a sua Conferentia mandatum non habuerint, ordinarie *nomine proprio* iudicium tulerunt.

Sabbato 21 octobris primi interventus habiti sunt sive super Relationem sive super « Supplementum ». Locuti sunt 9 Patres; die autem 23 octobris locuti sunt 21 Patres, die 24 octobris 16 Patres,

tandem die 25 octobris 17 Patres. In universum de sacra Liturgia locuti sunt 63 Patres.

Die 24 octobris, feria II, in Sacello Xystino celebrata est Missa « normativa ». Patribus distributus est libellus cum cantibus et textibus Missae et novae precis eucharisticae III, ex permissione, immo ex desiderio Summi Pontificis (Epistola Secretariae Status diei 17 octobris 1967), adhibitae. Missam celebravit Secretarius « Consilii », cantum egregie moderatus est Rev.mus P. Rossi, ex Congregatione clericorum reg. Ministrantium Infirmis, professor musicologiae et cantus liturgici in Seminario dioecesano Veronensi (Italia). Parva schola efformata est a scholasticis Collegii Internationalis S. Antonii Mariae Zaccaria (Romae), Congregationis Patrum Barnabitarum.

Missa ita ordinata est ut censeretur celebrata die dominica, in ecclesia quadam paroeciali italica, populo eam participante, cum parva schola cantorum, uno lectore, uno cantore et duobus ministrantibus.

Lectiones desumptae sunt e dominica XIX post Pentecosten (schemate B) Ordinis Lectionum, quae iuxta novam ordinationem calendarii liturgici plus minusve respondet secundae medietati mensis octobris. Cantus derivati sunt e *Graduali simplici*, e schemate IV temporis post Pentecosten. Totum schema Missae apparatus fuit *unice* pro illa celebratione « ad experimentum » peragenda coram Patribus Synodi Episcoporum.

Durante examine schematum de sacra Liturgia in Synodo Episcoporum, duo « Consilii » Patres rem illustrarunt ad scriptores diariorum ac periodicorum, nempe Exc.mus DD. Georgius P. Dwyer, Archiepiscopus Birminghamiensis, die 22 octobris, et Em.mus DD. Radulfus Card. Silva Enriquez, Archiepiscopus S. Iacobi in Chilia, die 25 octobris.

II. QUAESITA « PONTIFICIA »

Die 24 octobris habita est suffragatio circa « Quaesita Pontificia », quae sic sonabant:

- I. *Placetne Patribus ut in Liturgiam latinam, praeter Canonem romanum, in usu manentem, tres aliae novae preces eucharisticae inducantur?*

Patres votantes fuerunt 183.

Dixerunt *Placet*: 127; *Non Placet*: 22; *Placet iuxta modum*: 34.

Attentis iis quae in animadversionibus in Aula Synodali factis ab uno alterove Patre dicta sunt (quod valet etiam pro singulis Quaesitis utriusque suffragationis), censemus « Modos » has suggestiones offerre posse:

1. Canon Romanus locum digniorem semper retineat inter omnes preces eucharisticas, et in dominicis et festis sollemnioribus semper adhibeatur.

2. Dentur normae quoad usum unius vel alius formulae, quin relinquantur liberae electioni celebrantis.

3. Novae preces eucharisticae sint tantummodo pro quibusdam coetibus bene praeparatis.

4. Antequam novae preces eucharisticae in usum admittantur, proponantur examini Conferentiarum Episcopaliurn, et fideles bene doceantur de novis textibus.

4. Non habeantur tantum tres novae preces eucharisticae, sed plures, quae sumantur etiam e liturgiis orientalibus; immo ipsae preces etiam a Conferentiis Episcopalibus confici possint.

5. Etiam Canon Romanus recognoscatur modo opportuno, ita ut facilius adhiberi possit.

II. *Placetne Patribus ut in novis precibus eucharisticis formula consecrationis panis sit: Hoc est enim Corpus meum, Quod pro vobis tradetur?*

Patres qui sententiam suam manifestaverunt fuerunt: 183.

Dixerunt *Placet*: 110; *Non placet*: 12; *Placet iuxta modum*: 61.

En autem sensus « Modorum », eadem ratione ac supra:

1. Additio « Quod pro vobis tradetur » fiat non tantum in formula consecrationis novarum precum eucharisticarum; sed transferatur etiam in Canonem Romanum, propter suam significationem.

2. Tempus verbi « tradetur » sit non in futuro, sed in praesenti, iuxta alios textus Sacrae Scripturae.

III. *Placetne Patribus ut in novis precibus eucharisticis formula consecrationis vini sit: Hic est enim calix Sanguinis mei, novi et aeterni testamenti, qui pro vobis et pro multis effundetur in re-*

missionem peccatorum, *scilicet eadem ac hucusque, demptis tamen verbis*: *mysterium fidei*?

Patres qui sententiam suam manifestaverunt fuerunt 183.

Dixerunt *Placet*: 93; *Non placet*: 48; *Placet iuxta modum*: 42.

En autem quae putamus voluisse Patres per « *Modos* » exprimere:

1. Omissio incisi « *mysterium fidei* » fiat etiam in Canone Romano, non tantum in novis precibus eucharisticis.

2. Incisum « *mysterium fidei* » non deleatur absolute e liturgia, sed transferatur ad aliquam acclamationem populi post consecrationem, vel ad aliquam formulam sequentem.

3. Tempus verbi « *effundetur* » sit in praesenti, iuxta textus aliquos Sacrae Scripturae.

IV. *Placetne Patribus ut Conferentiis Episcopalibus facultas fiat statuendi ut in Missa, praeter Symbolum Nicaeno-Constantinopolitanum, etiam Symbolum Apostolorum adhiberi valeat?*

Patres qui sententiam suam manifestaverunt fuerunt 183.

Dixerunt *Placet* 142; *Non placet*: 22; *Placet iuxta modum*: 19.

Sensus « *Modorum* » hos fuisse censemus:

1. Concessio fiat solummodo ab Apostolica Sede, et tantum pro iis locis in quibus fideles adsint qui legere nesciunt, et in casibus bene determinatis.

2. Caveatur tamen ut utrumque Symbolum revera semper adhiberi possit, et ut Symbolum Nicaeno-Constantinopolitanum semper retineatur in Missis in cantu.

3. Symbolum Apostolorum concedatur solummodo in Missis pro pueris, in Missis forma simpliciori celebratis, v. gr. diebus infra hebdomadam, aut aliis occasionibus.

4. In unaquaque Natione unitas formulae habeatur, ut facilius fiat ubique participatio fidelium.

5. Caveatur ut etiam formula Symboli Apostolorum cantari possit.

6. Habeatur tantummodo et ubique Symbolum Apostolorum.

CONSPECTUS GENERALIS EXITUS SUFFRAGATIONIS

<i>Quaesita</i>	<i>Placet</i>	<i>Non placet</i>	<i>Placet iuxta modum</i>
Ad I ¹	127	22	34
Ad II	110	12	61
Ad III	93	48	42
Ad IV	142	22	19

Excussionem schedularum et modorum peregerunt tres Patres a Praesidibus Delegatis designati. Hi Patres fuerunt: Exc.mus Ioseph KUO, Archiepiscopus Salaminensis; Exc.mus Henricus NICODEMO, Archiepiscopus Barensis; Exc.mus Ioannes Franciscus DEARDEN Archiepiscopus Detroitensis. Munus Secretarii explevit Rev.mus P. Hannibal BUGNINI, Secretarius Specialis Synodi pro sacra Liturgia.

III. QUAESITA GENERALIA SUPER SCHEMATIBUS DE MISSA ET DE OFFICIO DIVINO

Die 26 octobris Em.mus Card. Iacobus Lercaro, responsiones dedit ad animadversiones a Patribus motas, et suffragatio facta est super alia octo quaesita de sacra Liturgia.

1. *Placetne Patribus structura in genere Missae sic dictae « normativae » uti exponitur in Relatione et in Responsionibus?*

Dixerunt *Placet*: 71; *Non Placet*: 43; *Placet iuxta modum*: 62.

Facile praevideri poterat quod huiusmodi Quaesitum plura vota « iuxta modum » esset allaturum, sive ob suam latitudinem sive ob diversas et minutas animadversiones, quas Patres ad singulas partes Missae « normativae » expresserant. En praecipuae in Aula Synodali factae:

1. *Quoad structuram Missae « normativae » in genere:*

a) « Normativa » sit Missa lecta, non in cantu, ob faciliorem possibilitatem eam celebrandi in paroeciis diebus dominicis et festis.

¹ Pro primo quaesito, quod habebatur etiam in fasciculo *Argumentorum*, 33 Patres dixerunt se sententiam manifestare nomine Conferentiae Episcopalis.

b) Locus relinquatur opportunis aptationibus a Conferentiis Episcopalibus faciendis, attentis necessitatibus cuiusque regionis et traditionibus populorum.

c) Totum schema sit quid magis dives, praesertim retentis pluribus signis crucis et genuflexionibus et inclinationibus, quae respondent desiderio et gustui plurium populorum in quibusdam regionibus.

d) Preces a sacerdote secreto dicendae retineantur, immo plures formulae pro singulis casibus proponantur, ita ut sacerdos inter eas seligere possit.

e) Nihil relinquatur ad libitum sacerdotis, sed omnia bene statuuntur, ne diversitates inter ecclesias et regiones habeantur.

f) Liturgia verbi nimis protracta videtur respectu habito ad liturgiam eucharisticam.

g) Conferentiis Episcopalibus detur amplior libertas in eligendis lectionibus et in orationibus componendis.

h) Plura habeantur momenta sacri silentii.

i) Non habeantur momenta omnino silentiosa, utpote quae menti hominis hodierni, in activitate valde versati, non respondeant.

2. *Ad liturgiam verbi quod attinet:*

a) *Kyrie* nunquam omittatur.

b) *Gloria* retineatur sicuti hodie.

c) Post liturgiam verbi addatur tempus sacri silentii, ita ut fideles manuducantur ad meditandum verbum Dei auditum.

d) Cantus post lectiones occurrentes breviores fiant, aut etiam supprimantur.

e) Oratio fidelium non videtur necessaria in omnibus Missis, immo possit post communionem transferri.

3. *Quoad liturgiam eucharisticam:*

a) Offertorium nimis reductum videtur: unde servantur preces et ritus qui hodie sunt in usu, praesertim vero infusio aquae in calicem cum oratione concomitante.

b) Orationes ad offertorium a sacerdote secreto dicendae sint obligatoriae.

c) Retineatur « Orate, fratres » cum suo responso.

d) Numerus Sanctorum in Canone Romano minuatur.

- e) Acclamatio populi post consecrationem sit semper obligatoria in omnibus precibus eucharisticis.
- f) Servetur oratio nunc exstans ante pacem.
- g) Orationes breves ante et post communionem sacerdotis retineantur, saltem in Missis privatis.
- h) Communio sub utraque specie relinquatur omnimodae determinationi Conferentiarum Episcopaliū, aut Episcoporum.
- i) Solemnis benedictio in fine Missae reservetur Episcopo.

II. *Placetne Patribus ut in Missa semper habeatur actus paenitentialis, variis quidem formis, iuxta tempora liturgica vel alia adiuncta, ab omnibus tamen participatus?*

Dixerunt *Placet*: 108; *Non Placet*: 23; *Placet iuxta modum*: 39.

En autem principales « Modi »:

1. Actus paenitentialis sit brevis, bene definitus, et uniformis pro tota Ecclesia, idem per totum annum, aut saltem formulis non nimis variis.
2. Variæ formæ actus paenitentialis sint ad libitum Conferentiarum Episcopaliū, immo ipsius celebrantis.
3. Absolutio quæ sequitur actum paenitentialem non videatur in sua forma vera absolutio, ne fideles in errorem inducantur.
4. Quoad locum: fieri possit aut initio liturgiae verbi, aut initio liturgiae eucharisticae.
5. Formula « Confiteor » retineatur, diversis tamen modis:
 - a) sit forma abbreviata, et dicatur simul a sacerdote et a populo;
 - b) retineatur tantum prima pars;
 - c) retineatur quoad substantiam;
 - d) addantur verba « et omissione »;
 - e) sit unica formula actus paenitentialis.
6. Oratio conclusiva varias formas habere possit.

III. *Placetne Patribus ut, tempore experimentorum, in Missa tres statuantur lectiones, ita ut, post experimenta, attentis experientiis pastoralibus, quaestio de numero lectionum opportune solvi possit?*

Dixerunt *Placet*: 72; *Non Placet*: 59; *Placet iuxta modum*: 41.

Textus in *Argumentis* propositus praevidebat ut tres lectiones essent obligatoriae in omnibus Missis diebus dominicis et festis, ratione formationis fidelium in universo opere salutis percipiendo et intelligendo. Plures Patres petierunt, in suis animadversionibus in Aula factis, ut huiusmodi determinatio non fieret nisi post experimenta, e quibus prius diiudicari posset de convenientia vel minus talis normae absolutae. Quaesitum positum est hac forma. Difficultates motae a Patribus oretenus certe inveniuntur etiam in «Modis»:

1. *Quoad ipsa experimenta:*

- a) non sunt necessaria;
- b) fiant tantum ab aliquibus Conferentiis, vel in aliquibus locis bene determinatis et clausis;
- c) non nimis protrahantur, ex. gr. non ultra biennium.

2. *Quod usum duarum vel trium lectionum:*

- a) Usus trium lectionum non imponatur tempore experimentorum, sed tantum post experimenta, si exitus fuerit in favorem.
- b) Experimento subiciatur usus sive duarum sive trium lectionum.
- c) Tres lectiones sint obligatoriae tantum in Missis pro adultis.
- d) Tres lectiones non sint obligatoriae sed valde commendatae, ideo sint in Missali, sed inter duas priores electio fieri possit.
- e) In Missionibus unica tantum lectio fieri possit, occasione magis aptata, etiam extra ordinem statutum.
- f) In Missa a solo celebrata unica tantum habeatur lectio; in Missis vero cum populo, aut una, aut duae, aut tres.

IV. *Placetne Patribus ut antiphonae ad introitum, ad offertorium et ad communionem substitui possint per alios congruos cantus iudicio Conferentiarum Episcopaliū, et iuxta textus ab ipsis approbandos.*

Dixerunt *Placet*: 126; *Non placet*: 25; *Placet iuxta modum*: 19.

Etiam in animadversionibus oretenus factis suggestiones Patrum paucae fuerunt, et respiciunt:

- a) necessitatem servandi aliquem ordinem in his novis textibus;

b) necessitatem ut novi textus a Conferentiis Episcopalibus tali ratione seligantur, ut revera respondeant fini qui ipsis proponitur;

c) opportunitatem ut partes quae cantu essent proferendae, quando non adsit populus, omnino omittantur;

d) attentionem ne textus traditi, pietate et arte referti, in oblivionem cadant.

V. *Placetne Patribus ut omnes psalmi, non exceptis imprecatoriis et historicis, retineantur in cursu ordinario quattuor hebdomadam proposito pro Psalterio in Officio divino?*

Dixerunt *Placet*: 117; *Non Placet*: 25; *Placet iuxta modum*: 31.

Etiam circa hanc quaestionem paucae animadversiones a Patribus factae fuerant, ex. gr.:

1. Psalmi « imprecatorii » retineantur, facta tamen facultate iis quibus id placuerit, eos substituendi per alios psalmos singulis in locis indicatos.

2. Excludantur e cyclo ordinario tantum psalmi ex integro « imprecatorii » et partes quae eiusmodi generis sunt in aliis.

3. Psalmi « imprecatorii » ponantur tantum in Horis non obligatoriis pro omnibus.

4. Iidem psalmi dici possint tantum ab iis qui, in re biblica bene versati, eos cum vera intelligentia et cum fructu spirituali dicere valent.

VI. *Placentne Patribus ea quae in Relatione proponuntur de Laudibus et Vesperis?*

Dixerunt *Placet*: 144; *Non Placet*: 7; *Placet iuxta modum*: 23.

Animadversiones Patrum, quas putamus in « Modos » transiisse, respiciunt:

1. Obligationem totius Officii, hac nempe ratione, ut Laudes et Vesperae sint solae partes pro omnibus obligatoriae, neque semper sub gravi.

2. Quoad structuram, ab aliquibus petatum est ut tres habeant psalmos, lectionem et orationem, relictis proinde, saltem extra chorum, hymnis et responsoriis, et responsionibus in genere.

3. Preces habeantur tantum in diebus ferialibus, sicut hodie fit.
4. Preces olim in fine Primae inserantur in fine Laudum, cum sint valde aptae ad sanctificationem diei petendam, et ad laborem offerendum.

VII. *Placentne Patribus ea quae in Relatione proponuntur de Horis minoribus?*

Dixerunt *Placet*: 141; *Non Placet*: 13; *Placet iuxta modum*: 20.

Quoad Horas minores, Patres has suggestiones expresserant in Aula:

1. Horae minores non sint obligatoriae, saltem pro clero choro non adstricto.
2. Hora minor semper unica sit pro omnibus, longior, quae proinde constet hymno, psalmis, lectione longiore ac nunc, et oratione.
3. Responsoria aboleantur in recitatione a solo.
4. Aliqua elementa e Completorio addantur in fine Vesperarum, et Completorium aboleatur.

VIII. *Placentne Patribus ea quae in Relatione proponuntur de Matutino seu « Officio lectionum » ?*

Dixerunt *Placet*: 139; *Non Placet*: 7; *Placet iuxta modum*: 28.

Circa naturam et ordinationem « Officii lectionum » seu Matutini, has ideas Patres in suis animadversionibus expresserant:

1. Officium lectionis non sit obligatorium.
2. Ne sit nimis breve.
3. Sit sine psalmis, retentis tantum lectionibus, ratione suae naturae.
4. Ordinatio sit in modum alternationis inter lectiones et psalmos, ita ut psalmi sint unus post singulas lectiones.
5. Ordinarius loci possit permittere ut sacerdos valeat, loco Officii lectionis, legere tantum aliquam partem Sacrae Scripturae quae longitudine aequivaleat longitudini Officii lectionis.
6. Sacerdos ipse valeat aptiores lectiones seligere.
7. Indoles didactica huius partis Officii ne sit in detrimentum characteris ipsius laudativi.
8. Novum Testamentum servetur praesertim pro Missa; in Officio habeantur tantum partes selectae.

9. Lectio hagiographica debet esse vere historica, ita ut ex ipsa appareat vera figura Sancti, et non figura aliqua conventionalis, quae valeat pro omnibus et pro nullis Sanctis.

10. Regulae definiantur de commutationibus et dispensationibus concedendis, praecipue pro celebratione choralis, posita tamen debita cohaerentia inter opera quae imponuntur et partes e quibus datur dispensatio.

CONSPECTUS GENERALIS EXITUS SUFFRAGATIONIS

Schedulae collectae fuerunt 180.

Se omnino abstinerunt 3 Patres. Alii vero Patres unum vel alterum Quaesitum non suffragaverunt.

<i>Quaesita</i>	<i>Placet</i>	<i>Non placet</i>	<i>Placet iuxta modum</i>	<i>Abstensiones</i>
Ad I	71	43	62	4
Ad II	108	23	39	10
Ad III	72	59	41	8
Ad IV	126	25	19	10
Ad V	117	25	31	7
Ad VI	144	7	23	6
Ad VII	141	13	20	6
Ad VIII	139	7	28	6

Excussionem schedularum perfecerunt quattuor Patres, a Praesidibus Delegatis designati. Hi Patres fuerunt: Exc.mus Philippus Franciscus POCOCC, Archiepiscopus tit. Isauropolitani, Coadiutor Torontinus; Exc.mus Adam KOZŁOWIECKI, Archiepiscopus Luskensis; Exc.mus Petrus M. PUECH, Episcopus Carcassonensis; Exc.mus Ioseph CARRARO, Episcopus Veronensis. Munus Secretarii explevit Rev.mus P. Hannibal BUGNINI, Secretarius Specialis Synodi Episcoporum.

IV. ANIMADVERSIONES GENERALES CIRCA INSTAURATIONEM LITURGICAM

In proponendis suis animadversionibus Patres, praeter suggestiones, quas conati sumus forma breviori contrahere intra « Modos » post singula quaesita recensitos, aliquas etiam quaestiones ampliores et non parvi momenti tetigerunt.

1. Plurimi Patres (scil. 33) gratias egerunt « Consilio » pro labore usque adhuc peracto pro liturgica instauratione generali, eius opus recognoscentes in bonum Ecclesiae et animarum esse cessurum. Ex his plures insuper humanissima verba admirationis et gratiarum actionis habuerunt etiam pro persona Em.mi Praesidis « Consilii », Card. Iacobi Lercaro.

2. A pluribus, diversis quidem rationibus et diversa instantia, petatum est ut deinceps instauration liturgica non fiat amplius per partes et per gradus, sed ad nova documenta evulganda expectetur donec tota instauration in promptu habeatur, ne continue sacerdotes et fideles turbentur ex novis rebus brevibus intervallis temporis sibi succedentibus. Optandum enim est, dixerunt aliqui Patres, ut ad statum definitivum et certum in liturgia deveniatur, quo etiam leges certae et stabiles et uniformes tandem habeantur.

3. De experimentis plures Patres locuti sunt, duplici tamen sententia inter se dissentientes. Fuerunt enim qui dixerint finem tandem esse ponendum experimentis, quae fideles turbant et disciplinam in clericis fovant. Sed fuerunt etiam qui instanter petierint ut novi ritus, antequam promulgentur, debitis experimentis subiciantur, id est non tantum in uno alterove coetu clauso, sed in omnibus regionibus, missionariis non exceptis, ita ut de eorum aptitudine revera constet. Immo nec defuerunt qui optaverint ut facultas peragendi experimenta ne sit tantum apud Apostolicam Sedem, sed apud Conferentias Episcopales, et etiam apud singulos presbyteros: hac enim ratione, dixerunt, maior facultas postea obtinetur eligendi formulas et ritus, qui vere respondeant necessitatibus mundi huius temporis.

4. Aliud argumentum a pluribus tractatum respicit aptationem liturgiae tum diversis condicionibus et traditionibus populorum, tum diversis coetibus, pro quibus et in quibus liturgia celebratur. Schemata enim quae proponuntur, dixerunt praesertim aliqui Patres e regionibus missionum advenientes, si respondent menti et gustui hominis mundi occidentalis, non semper respondent sensibus hominis aliarum regionum, qui maiorem copiam gestuum, symbolorum, actionum expetunt. Item, alii dixerunt, praevidendum est opportunis aptationibus rituum, quando celebrantur tantummodo pro aliquibus coetibus bene determinatis, ex. gr. pro pueris, pro adolescentibus, pro infirmis, etc. His in casibus, et aliis similibus, praevidenda est amplior flexibilitas, immo alia selectio textuum pro lectionibus, pro orationibus, pro cantibus, etc.

V. RESPONSIO DIFFICULTATIBUS

His quaestionibus generalioribus Em.mus Cardinalis Lercaro in *Responsionibus* aliquo modo satisfecit, problemata maiora tangendo, et exponendo mentem, programma et rationem agendi « Consilii » in his rebus. En autem, modo quodam ampliore ideas, quae Em.mus Pater, respondendo animadversionibus, exposuit:

1. *De gradualitate in peragenda instauratione.* Nonnulli difficultates experiuntur ex eo quod instaurationi fit per partes, successive; dum aliquam definitionem generalem totius rei cuperent, quae ad statum perfectae tranquillitatis et definitivae uniformitatis conducere.

Et tamen negari non potest utilitas — immo et necessitas — procedendi per gradus. Singulae enim instaurationis partes, praesertim in suo spiritu, tum a pastoribus tum a fidelibus assumi debent, ut fructus revera afferant. Et hoc opus cognitionis, meditationis et amoris tempus et aliquam pausam requirit. Ceterum, iam prima Instructione diei 26 septembris 1964 proponebatur huiusmodi gradualis ratio procedendi: « Generalis sacrae Liturgiae instaurationi aptius a fidelibus accipietur, si *gradatim* atque *per progressionem* procedet, et si iis per debitam catechesim a pastoribus proposita et explicata fuerit » (n. 4).

« Consilium » certe contendet ut instaurationi liturgica quamprimum ad finem perducatur, iuxta plurium desiderata. Sed prae oculis habeatur opus tempus requirere ad sufficientes investigationes faciendas, et ad experimenta necessaria ducenda.

Neque certe omnes partes operis tam ampli tamque ponderosi poterunt unica vice perfici et tradi exsequendae: unde necessario successive apparebunt.

Ceterum opus instaurationis iuxta lineas bene statutas procedit, non modo incerto et contradictorio. Etenim « Consilium » programma bene definitum inde ab initio sibi statuit; unde, etsi ea quae usque adhuc edita sunt, ei qui ab extra considerat, fragmentaria videri possunt, revera tamen sunt veluti tesserae operis musivi iam bene delineati, in mente auctoris.

2. *De libertate tribuenda Conferentiis Episcopalibus.* Sensus liturgiae vivae, quae nostris temporibus magis magisque animos afficit, certe requirit ampliorem flexibilitatem legis liturgicae, ut

liturgia ingenio et traditionibus cuiusque populi respondeat et ut singulae celebrationes, intra certos limites, singulis coetibus aptari possint.

Hoc « Consilium » prae oculis habuit in novis normis liturgicis condendis, curando ut maior facultas sit aut Conferentiis Episcopalibus aut, pro quibusdam partibus, etiam singulis sacerdotibus aliquas aptationes faciendi.

Iis quae Concilium de hac facultate statuit, « Consilium » certe aliquid detrahere non intendit; e contra, cupit hanc facultatem magni facere in singulis ritibus recognoscendis et in novis normis proponendis, sicut et in mente sacerdotum efformanda, et in lineis directivis ipsis Conferentiis Episcopalibus offerendis.

Hac via pluribus desideriis satisfaceri poterit, in iis praesertim quae respiciunt aptationes necessarias aut utiles, ut singuli ritus menti, traditionibus et ingenio cuiusque populi et cuiusque culturae magis respondeant. Attente curandum erit ut hoc fiat, sicut ipsa Constitutio Conciliaris praecipit « servata substantiali unitate ritus romani » (art. 38). Liturgia enim attente considerat et, si sunt ipsius spiritui conformia, ea admittit quae a sanis traditionibus alicuius gentis dimanant. Hac ratione igitur etiam nonnulli ritus aut gestus, ex. gr. aspersio aquae, genuflexiones, signationes, etc., ab aliqua Conferentia Episcopali induci aut retineri poterunt in aliqua parte rituum liturgicorum, si utilitati sint uni alterive genti.

Eadem vero libertas singulis sacerdotibus tribui nequit, ut saltem substantialis unitas revera servetur. Ipsi vero sacerdotes sedulo efformandi erunt ut ea libertate debite utantur, quam novi ritus novaeque normae illis tribuunt in aliquibus textibus, gestibus, actibus seligendis, ut celebratio sit revera viva. Inaequalitas autem quae aliquando exinde consequitur nequit indisciplina, licentia aut minor amor recti ordinis dici, cum, e contra, sit usus legitimae facultatis legitimaeque libertatis, magnamque vim in actione pastoralis habeat.

Libertati autem, quam schemata interdum praebent celebranti, ita ut « pro opportunitate » actionem vel textum omittere possit, limites ponendos esse nonnulli interdum censent; quorum animadversiones debita consideratione « Consilium » perpendet.

3. *De experimentis.* Inde ab initio mens « Consilii » fuit ut novi ritus, antequam modo definitivo Ecclesiae imponantur, praevisis experimentis subiciantur, diversis in locis et coetibus, ut de eorum

aptitudine constet. Hoc iam factum est, ex. gr. pro ritu concelebrationis; hoc fit nunc pro ritu catechumenatus adultorum et pro exsequiis; proxime autem fiet pro ritu baptismi parvulorum et pro ritu matrimonii. Regiones quae seliguntur, universum orbem, in suis diversis condicionibus religiosis et socialibus, repraesentant, nullo modo exclusis recentioribus Ecclesiis in terris missionum florentibus.

« Consilium » autem duplex genus experimentorum agnoscit.

Primum ab ipso « Consilio » proponitur, et respicit schemata quae, per accuratum studium et congruum examen in suis coetibus, parata sunt.

Ratio procedendi haec est: « Consilium » praebet Commissioni liturgicae cuiusque Nationis facultatem ordinandi experimenta, certis sub normis, in diversis locis et coetibus ad id aptis per determinatum tempus, cum onere faciendi, statutis temporibus, congruam relationem de effectibus, de difficultatibus, de suggestionibus quae proponuntur. Tantummodo omnibus expensis, fiet redactio definitiva alicuius ritus.

Alterum experimentorum genus a Conferentiis Episcopalibus aut ab aliis, de consensu competentis auctoritatis, proponitur, a « Consilio » examinatur et permittitur, ad normam art. 40 Constitutionis de sacra Liturgia. Hoc respicit praesertim aptationes, quae in diversis regionibus necessariae aut opportunae videntur, ut liturgia, in substantiali unitate ritus romani, respondeat ingenio et traditionibus cuiusque gentis. Etiam plura experimenta huius generis iam fiunt sub responsabilitate Conferentiarum Episcopaliū. Haec eadem experimenta respiciunt etiam familias religiosas, et etiam apud ipsas revera habentur. Ex. gr. familiis monasticis in Africa et Madagascaria, quorum monasteria sodales habent magna ex parte indigenas, facultas facta est experimenta ducendi circa ordinationem divini Officii.

« Consilium » haec experimenta benevolo animo considerat, et libenter, sed *scripto* tantum, concedit, dummodo certo constet de limitibus ipsius experimenti, de auctoritate quae illud moderetur et de aptitudine coetus in quo est peragendum.

Immo ex his experimentis sperat se optimas esse collecturum notas, quae ipsum valde iuvent ad textus definitivos novorum rituum redigendos. Experientia enim totius Ecclesiae, dioecesium nempe et familiarum religiosarum, maxime conferet ad liturgiam instauratam totius Ecclesiae ordinandam.

4. *De nimia rituum simplificatione* nonnulli passim conqueruntur. Eorum argumenta et desideria « Consilii » sodales et periti profecto prae oculis habebunt, signa sacra, per quae ad mysterium accedimus, vel sensus nostros pandimus, quam maxime existimantes; duplicis tamen rationis non immemores; primum quidem « nobilis simplicitatis » qua, iuxta Constitutionem, ritus ut splendeant oportet, « repetitiones » etiam vitando (art. 34), secundo autem flexibilitatis seu aptationis ad indolem populorum, de qua iterum agitur in Constitutione (artt. 37-40); quae aptatio ut revera habeatur in ritibus et, si casus ferat, in textibus, uti aliqui in regionibus missionum operantes petierunt, Conferentiae Episcopales experimenta opportuna, servatis iuxta Constitutionem servandis, peragere sagitant. Earundem Conferentiarum igitur est signa quae minus intellegibilia appareant, v. gr. osculum pacis, osculum altaris, etc., opportune commutanda proponere.

Quoad simplificationes caeremoniarum et rituum, factas per *Instructionem alteram* diei 4 maii 1967, sedulo attendendum est S. C. Rituum documentum illud edidisse ut reiteratis optatis plurium, et quidem magni momenti, Conferentiarum Episcopaliū obviam iret. Fere omnia particularia simplificationis ab ipsis Conferentiis indicata sunt et libenter accepta in quantum intrinsecae obiectivitati rituum respondentia. Schema Missae normativae, fere nihil addidit ritibus simplicatis ab *Instructione altera*. Nec aliquid aliud addetur in instauratione definitiva. Ita, sensim sine sensu, *progressive* et *gradatim*, Missae instauratione ad rem deducitur.

5. *De aptationibus quibusdam coetibus peculiaribus* faciendis « Consilium » certe cogitat et quaestionem prae oculis habet in singulis ritibus exstruendis. Sed prius oportet ut schema generale in promptu habeatur. Etenim in ordinandis celebrationibus, v. gr. pro pueris, pro adolescentibus, pro rudioribus, pro infirmis, agetur non de efformando aliquo ritu omnino speciali, sed potius de quibusdam elementis retinendis vel breviandis vel omittendis, de quibusdam textibus magis aptis seligendis, etc. Quae omnia in schemate definitivo, attentis cuiusque ritus natura et momento, indicabuntur.

6. *De rationibus inter liturgiam verbi et liturgiam eucharisticam intercedentibus*. Admirationis occasionem quis sumit ex eo quod liturgia verbi amplius protrahitur quam liturgia eucharistica. Neque desunt qui in hac re videant quamdam imminutionem honoris Sacramento debiti, et oppositionem documentis Apostolicae Sedis

de cultu mysterii eucharistici (cf. Litt. Enc. *Mysterium fidei*, Instr. *Eucharisticum mysterium*).

Et tamen amplior pars liturgiae verbi tributa, quae explicite a Concilio petita est (cfr. Const. *Sacrosanctum Concilium*, art. 35, 51-53) traditione liturgica universali innititur, argumentum theologicum quod negari non potest exprimit, et vi pastoralis liturgiae omnino respondet.

1) In omnibus liturgiis, sive orientalibus sive occidentalibus, liturgia verbi evolutionem magni momenti novit, cuius origo ad cultum ipsum synagogalem reducenda est. Numero et longitudine ampliores vel minores, iuxta ritus et tempora, aut animi propensiones, lectiones biblicae magnam semper partem liturgiae verbi obtinuerunt.

Insuper unus saltem cantus psalmodicus inter lectiones semper occurrit. Est natura sua cantus qui modo peculiari et proprio Ordinem Missae ingreditur: per illum enim verbum Dei nuper auditum in corde consideratur illique cum gaudio respondetur, ita ut homo, hac ratione, in ordinationem divinam ingrediatur, mysterium salutis sibi applicando illudque participando.

Probandum vero non est praedicationem episcopi aut presbyteri partem magni momenti semper habuisse in liturgia verbi, cuius tempus plus aequo saepius protrahebat. Pariter omnes sciunt orationem communem seu fidelium elementum traditionale huius partis exstare (cfr. *De oratione communi seu fidelium*, Città del Vaticano 1966, pp. 163-169).

Haec sunt elementa liturgiae verbi, historia comparata rituum comprobata. Et valde mirandum est neminem, viginti hisce saeculis, animadvertisse protractam celebrationem liturgiae verbi nocumentum inferre posse cultui eucharistico!

2) Huiusmodi autem ordo traditionalis fundamento theologico cultus innititur. Etenim cum convocatur ad celebrandam liturgiam, quae Dominum eius glorificat, ipsique tribuit ut e fontibus salutis hauriat, Ecclesia universam oeconomiam salutis per ritus, textus, symbola semper vivit. Primo ergo se disponere debet ad verbum Dei audiendum, quia Deus per Verbum suum « viscera misericordiae » suae (Luc. 1, 78) manifestare inceptit. Audiens autem documenta populi Dei in Antiquo Testamento, testimonia Apostolorum et Evangelium Iesu, Ecclesia « mirabilia Dei » vivit et intime participat.

Exinde vero formas inspiratas laudis et supplicationis haurit, quibus verbo Dei, duce Spiritu Sancto qui locutus est per psalmistam, respondet. Sacerdotium tandem ministeriale, charisma sui Ordinis donatum, verbum illud salutis authentice interpretatur, quod spiritus et corda transformat, ut secundum Spiritum vivamus. Oratio vero universalis, quae liturgiae verbi finem imponit, nos ducit ad participandam voluntatem Dei, «qui vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire» (1 Tim. 2,4).

Et tantummodo hac liturgia verbi expleta, Ecclesia accedit ad mensam Eucharistiae. Explicatio autem prioris, nedum alteri praeiudicium inferat, illam magni facit eique verum suum momentum tribuit. Per liturgiam enim verbi praeparata, liturgia eucharistica clare manifestat quomodo sacrificium crucis mysterium revelationis Dei ad homines assumat et perficiat.

3) Concilium merito illustrat intimam unionem duarum partium Missae, e quibus «unus actus cultus» efficitur (Const. *Sacrosanctum Concilium*, art. 56). Deplorandum enim est plures fideles liturgiam verbi usque adhuc in cordibus suis ut quid secundarium aestimasse, a quo facile et etiam absque gravi causa dispensari possunt. Quomodo potest quis Eucharistiam plene intelligere, nisi prius praesentiam Christi in suo verbo gustaverit, «siquidem ipse loquitur dum sacrae Scripturae in Ecclesia leguntur»? (ibid. art. 7). Celebratio liturgiae verbi tempus aliquod certe requirit: sed hoc tempus necessarium est ut in mysterium Dei ingrediamur, ut eius cogitationibus profundius imbuamur, ut sensus Christi penetremus, cum quo per mysterium eucharisticum intime communicamus. Fides, spes et caritas, quas lectiones biblicae, psalmus, homilia, oratio universalis suscitaverunt, plene nos inserunt in actionem Christi, qui sub signis sacramentalibus panis et vini Ecclesiam suam in suum paschale mysterium introducit «donec veniat» (1 Cor. 11, 26).

Liturgia verbi proinde nullo modo liturgiae eucharisticae nocet: e contra, dummodo ea fide eaque veneratione celebretur, quas verbum Dei, diversis suis formis proclamatum, exigit. Si vero liturgia verbi indebite reduceretur, ut aliqua momenta temporis superessent, hoc non cederet in favorem cultus eucharistici sed, contra, dispositiones spirituales fidelium et clericorum reduceret, quibus Sacrificium altaris est celebrandum.

DE MISSA NORMATIVA

1. *Nomen*. Quidam invenerunt nomen « Missa normativa » non aptum rei: esset nimis taxativum, genericum, administrativum. Aliud nomen quaerendum esset, ex. gr. « Missa typica », « Missa exemplaris », etc.

Non abs re Card. Iacobus Lercaro adnotavit: « Nomen, Missa "normativa" *ratione studii* tantum impositum est pro laboribus « Consilii », ad innuendum schema fundamentale celebrationis eucharisticae. Schema « Missae normativae » fundamentum constituit aliarum formarum Missae. Dantur proinde gradus et formae maioris vel minoris sollemnitatis, tum quoad cantum tum quoad alia elementa, v. gr. quoad numerum ministrorum. Haberi poterit ergo maior sollemnitas usque ad Missam totaliter in cantu celebratam; et etiam minor usque ad Missam totaliter lectam, servatis tamen semper peculiaritatibus ex praesentia et participatione populi promanantibus ».

Normativa proinde indicat solummodo hanc formam Missae esse *normam* seu « guide » (non lex, comma, praeceptum) ad alias formas instruendas. Non est nomen manens, sed notio transiens.

Missa « typica » est nomen minus aptum: typus est quid fixum et immutabile; norma applicari et accommodari potest adiunctis.

« Missa exemplaris » est nomen insufficiens, « Missa paroecialis », nomen incompletum.

Et tamen parum refert de nomine. In instauratione enim unaquaeque forma Missae, a simpliciore ad solemniorem, singulatim describetur, et unaquaeque habebit suum nomen proprium.

2. *Res*. Multum refert res; et res sic se habet: Missa normativa nihil aliud est nisi Missa celebrata iuxta normas *Instructionis alterius* diei 4 maii 1967 paucissimis mutatis; et Missa celebrata in Cappella Syxtina die 24 octobris nihil aliud est nisi Missa « normativa », cum omnibus partibus, quae cani possunt, reapse cantatis.

Quaenam sunt partes Missae hodiernae et Missae « normativae » ?

Vide in sequenti schemate:

Missa hodierna

Salutatio altaris
Preces ad pedes altaris

« Aufer »

Osculum altaris
Antiph. ad Introitum

« Kyrie » (« Gloria »)¹

Salutatio populi

Oratio

Lectio

Graduale

Alleluia

« Munda cor meum »

Evangelium

Homilia

(Credo)

Oratio fidelium

Antiphona ad Offertorium

Preces Offertorii (*septem*)

« Orate, fratres »

Oratio super oblata

Praefatio

« Sanctus »

Canon

« Pater » cum embolismo

« Pax Domini »

Fractio et commixtio cum prece

« Agnus Dei »

Preces ante Communionem (3)

Missa « normativa »

Cantus ad Introitum

Salutatio altaris

Signum crucis

Osculum altaris

Salutatio populi

Actus paenitentialis

(« Kyrie ») (« Gloria »)²

Oratio

I Lectio

Psalmus responsorius

II Lectio

Alleluia

(« Munda cor meum »)³

Evangelium

Homilia

(Credo)

Oratio fidelium

Cantus ad Offertorium

Preces Offertorii (*tres*)³

Oratio super oblata

Praefatio

« Sanctus »

Canon

Acclamatio populi

« Pater » cum embolismo

Acclamatio populi

« Pax Domini »

Fractio et commixtio cum prece

« Agnus Dei »

Prex ante Communionem (1)³

¹ Non semper dicitur.

² Si dicitur *Gloria* non dicitur *Kyrie*, et viceversa.

³ - Pro opportunitate *.

« Ecce, Agnus Dei »
 « Domine, non sum dignus »
 « Corpus Domini nostri »
 « Quid retribuam »
 « Sanguis Domini nostri »
 « Quod ore », « Corpus tuum »
 Antiph. ad Communionem
 (Silentium vel cantus laudis)
 Postcommunio

« Ecce, Agnus Dei »
 « Domine, non sum dignus »
 « Corpus Christi »
 « Quid retribuam »³
 « Sanguis Christi »
 « Quod ore », « Corpus tuum »³
 Cantus ad Communionem
 Silentium vel cantus laudis
 Postcommunio

Benedictio - « Ite, missa est »
 Osculum et salutatio altaris

Benedictio - « Ite, missa est »
 Osculum et salutatio altaris

3. Quenam est differentia inter Missam hodiernam et Missam « normativam » ?

Nulla differentia structuralis. Missa talis est et talis remanet. Structura est perfecte eadem. Nulla pars cadit, nulla additur.

Nulla differentia quoad preces alta voce dicendas. Immo tales preces extolluntur per cantum, et preces pro actu paenitentiali, quae in Missa in cantu fiebant a solis ministris, nunc fiunt a ministris et a populo, id est ab universo coetu liturgico.

Quaedam differentia est quoad preces « secreto » dicendas a celebrante, sed hae preces fidelibus sunt extraneae, inexistentes; nec pertinent ad structuram Missae. In Missam insertae sunt ex devotione personali celebrantis *in Missa privata celebranda.* In nullo alio ritu liturgiae catholicae sacerdos ritum interruptit ut preces personales secreto persolvat: non in ritibus Pontificalis Romani, non in ritibus Ritualis Romani, non in Officio divino. Quia nullus alius ritus a celebratione communitaria ad celebrationem privatam descendit, si excipis Officium divinum. Sed Officium divinum structuram celebrationis communitariae servavit etiam in recitatione a solo; celebratio vero eucharistica miscuit elementa communitaria cum elementis devotionis personalis.

Proinde clarum est quod in Missa *a solo celebrata* (*privata*, ut dicitur) elementa illa personalia celebrantis servabuntur. At nulla apparet ratio cur manere debeant, saltem omnia, in celebratione eucharistica communitaria, cui instaurandae nunc incumbit sancta Mater Ecclesia.

Sensibilior simplificatio evenit ad offertorium per abolitionem plurium formularum secretarum. At non est obliviscendum: 1) illas formulas indebite et incongrue anticipare conceptus Canonis; 2) iam Concilio Tridentino transmissum fuisse memorandum petens ut tales formulae abolerentur, illas numerando inter «abusus» cum panis et vinum vocarentur «immaculata hostia», «calix salutaris» (cf. *Concilium Tridentinum*, ed. Goerresiana, t. VIII, p. 917); 3) novas formulas esse omnino sufficientes, perpulchras, inconvenientia vitant et conceptus congruos offertorii exprimunt.

Certe, ne preces secretae, tandem aliquando in usum receptae, totaliter deserantur et viam mediam instauratio ingrediatur, quaedam formulae, indicatae in Missa «normativa» «pro opportunitate», congruentius fieri possent *obligatoriae*, sicut novae pulcherrimae formulae ad offertorium dum dona super altare deponuntur, vel *Munda cor meum*, vel quaedam preces ad Communionem. Patrum Synodi desiderium hanc viam indicat, quae erit ingredienda, cauto tamen ne «nobilis simplicitas» ritus offuscetur, neque tota oeconomia ritus exinde detrimentum patiatur.

Concluditur ergo: Missam «normativam» omnino respondere postulatis Constitutionis conciliaris de sacra Liturgia et recentioribus instaurationibus contentis in documentis a Sede Apostolica editis, necnon totius instaurationis liturgicae principiis ac normis.

4. *Quid faciendum in regionibus ubi, ex plurisaeculari consuetudine populus semper Missam silentiose participat, sine cantu?*

Pro tempore, continuare oportebit sicut hucusque factum est. Sed illuminatus et fervens pastor proponere incipiet et methodicam et congruam catechesim ut oves suas instruat de necessitate exprimendi modo suaviore et lyrico sensus suos ad Deum per cantum. Una cum catechesi, paulatim, et a pueris inchoando, quaedam facillimas melodias fideles docebit et tandem illas adhibebit in quibusdam Missis festivis.

5. *Quid faciendum in magnis ecclesiis, ubi, die dominico, 4, 5 vel plures celebrantur Missae pro populo?*

Consulitur ut una alterave Missa sit «celebrata» cum plenitudine cantus; in aliis, cantus possunt minui, iuxta possibilitates coetus participantium et celebrantis. Forsan una alterave quasi lecta

sit. Nihil proinde substantialiter mutatur hodiernae praxis; tantum ex parte pastoris nunc onus officiumque urgetur populum parandi per catechesim et aptas exercitationes ut omnes Missae iuxta opportunitatem et possibilitatem quadam induantur sollemnitate.

Missa *normativa*, proinde, nullam gignit peculiarem difficultatem, plus quam in sede pastorali hucusque habitum est.

Difficultatibus obiectivis medebitur, progrediente educatione liturgica.

6. *Potestne Missa lecta esse fundamentum celebrationis eucharisticae?*

Minime gentium! Esset totalis regressio a quavis traditione liturgica et a quavis necessitate pastorali. Verum est quod rubricae Missalis Romani primo loco considerant Missam lectam; sed hoc est consequentia evolutionis historicae rubricarum, non aestimationis huius formae Missae. Cum enim agitur de Missa in cantu, fundamentum repetendum est a Missa Pontificali, quae describitur in « Caeremoniali Episcoporum ». Missa sollemnis et Missa cantata ortae sunt ex diminutione vel simplificatione Missae Pontificalis. Proinde in hodiernis rubricis librorum liturgicorum duo exstant fundamenta evolutionis Missae: una rubricalis, altera pastoralis. Prima officialis, altera exhorta ab extra, premente motu renovationis liturgicae, uti videri potest in sequenti schemate:

Motus rubricalis	1. Missa pontificalis
↓	2. Missa sollemnis
	3. Missa cum diacono
	4. Missa cantata
	8. Missa plene participata
	7. Missa cum cantibus
↑	6. Missa cum responsionibus populi
Motus pastoralis	5. Missa lecta

Schema ostendit Missam ordinariam (festivam) communis christianae, hierarchice ordinatae, fuisse ab initio Missam ab Episcopo celebratam cum omni suo presbyterio et populo (1).

Sensim sine sensu haec forma Missae tantam induit caeremoniarum ac ministrorum sollemnitatem ut gigneret necessitatem alterius formae (2) magis aptae communatibus haud valde numerosis

vel absente Episcopo. At, haec forma adhuc nimis alta erat pro parvis coetibus liturgicis. Tunc nova forma orta est (3). Tandem in parvis paroeciis, ubi unus parochus minister exstabat, ulterius imminuta est celebrationis forma (4).

Sic, motus a solemnissima ad simpliciores formam efformatus est ut populi necessitatibus et exigentiis provideretur, eucharisticae celebrationi sollemnitatem semper tamen servando.

At, pro dolor, haud fuit hic ultimus gressus descendens. Progressu enim temporis, Missa illa privata, ex devotione personali celebrantis et ex necessitate legatis foundationum satisfaciendi orta diebus feriabilibus, ingressa est etiam campum pastorem et facta est forma Missae communitariae etiam diei dominicae in paroeciis.

Ita, *Missa lecta* facta est forma ordinaria Missae paroecialis dominicalis.


Motus liturgicus, sub impulsu sancti Pii X, progrediendo a Missa lecta, id est a realitate concreta tunc temporis existente, magno cum labore incepit novam arduam ascensionem, ut ex infima forma sollemnitatis celebrationis eucharisticae, rursus ascenderetur ad formam nobiliorem Missae sollemnis. Et sic, per gradus populum sanctum Dei in divina mystera introducendo, a Missa lecta (5) progressio facta est ad Missam cum responsionibus populi (6), ad Missam cum cantibus (7), ad Missam plene participatam (8). Instructio Sacrae Rituum Congregationis diei 3 sept. 1958 hanc rerum conditionem stabilem effecit (nn. 3, 28 et sqq.).

Concilium Vaticanum II vero novum, et quidem fundamentalem, gressum fecit, statuens: 1) quod Missa « plenam pastorem efficacitatem » assequi debet; 2) quod forma rituum convenire debet omnibus « Missis, quae concurrente populo celebrantur »; 3) quod tota ratio instaurationis Missae ea quae in nn. 1-2 dicta sunt prae oculis habere debet (cf. Constit. de sacra Liturgia, art. 49).


Hic sistit totum fundamentum Missae « normativae », quae:

- 1) nequit esse Missa solemnissima (pontificalis);
- 2) nequit esse Missa pastoraliter pauperrima (lecta);
- 3) sed necessario exigit talem formam rituum, quae conveniat Missis celebratis « concurrente populo ».


Sequens schema exprimit hanc mediatricem positionem Missae « normativae ».




Pontificalis




Solemnis



MISSA "NORMATIVA,"



Lecta



« *Privata* »

Ex schemate apparet *unicum* elementum, numquam *omittendum* quod per se cantu esset proferendum esse cantum interlectionalem. Est in natura illius cantus, ut semper canatur inter populum congregatum et cantorem vel, illo deficiente, inter populum et ipsum sacerdotem. *Attamen*, si sacerdos cantare nescit vel nequit, textus ipse recitabitur, choraliter, a sacerdote et a populo, vel a solo sacerdote, sicut nunc fit in Missa lecta.

Schema pariter ostendit Missam «normativam» medium tenere locum inter diversas formas hodiernas Missae. Si augentur elementa ritualia, sicut ministri vel caeremoniae, ascenditur ad Missam sollemnem vel Pontificalem; si autem cantus minuitur vel totaliter excluditur, descenditur ad Missam lectam.

In omnibus formis tamen, sive supra sive infra, elementa structuralia eadem remanent.

Remanent etiam in Missa «privata», sed addentur formulae quaedam, pietate personali, in Missam inductae.

Ita servatur unitas substantialis ritus, sed flexibilitas quaedam instauratur, ut iuxta personarum et locorum adiuncta, unum aliudve elementum addatur vel minuatur, ad captum et participationem fidelium. In pleno et perfecto spiritu Constitutionis de sacra Liturgia.

7. *Silentium*. Momenta silentii in Missa valde utilia sunt. Plures sunt petitiones ut augeantur, et certe augebuntur. Quidam petunt ut post liturgiam verbi addatur tempus pro meditatione personali, ita ut populus Dei in arte meditationis instrui possit. Ita fit, ex. gr. in aliquibus ecclesiis Hollandiae, et quidem cum magno spirituali fructu. Sed non ubique haec praxis utilis videtur, uti in regionibus ubi gentes sunt vividiores. Hoc explicat cur alii dicant ut nulla habeantur momenta omnino silentiosa et inactiosa. Scite et recte talia momenta silentiosa aliquando «pro opportunitate» indicabuntur, iuxta adiuncta, loca et personas; unum vero alterumve modum eliget competens auctoritas.

8. *Participatio populi*. Consultores «Consilii» in praeparando de schemate Missae «normative» et Patres qui illud approbaverunt nunquam arbitrati sunt participationem fidelium in sacra liturgia debere esse principium *exclusivum* reformationis liturgicae.

Ipsi tamen, prae oculis habuerunt principium a Constitutione de sacra Liturgia in art. 14 expressum: «... totius populi plena et actiosa

participatio, in instauranda et fovenda sacra Liturgia, *summopere* est attendenda: est enim primus, isque necessarius fons e quo spiritum vere christianum fideles hauriant ».

1) Constitutio enim de sacra Liturgia reformationi liturgicae, « in partibus mutationi obnoxiiis », duplicem finem imposuit, nempe:

— « textus et ritus ita ordinari oportet, ut sancta quae significant, clarius exprimant;

— « eaque populus christianus, in quantum fieri potest, facile percipere, atque plena, actiosa et communitatis propria celebratione participare possit » (*Sacrosanctum Concilium*, art. 21).

2) Missa, quae sola assistentia ministrantis celebratur, una est ex legitimis formis celebrationis liturgicae, et servari debet. In ea omnia elementa essentialia cuiusdam actus sacramentalis, et celebrationis cultus deprehenduntur. « Etiam si praesentia fidelium haberi non potest, actus est Christi et Ecclesiae » (Decretum de vita et ministerio presbyterorum, *Presbyterorum Ordinis*, n. 44).

Huiusmodi tamen modus « privatus » celebrationis, considerari debet uti forma reducta relate ad typum idealem qui habetur cum, ex parte *signi*, evidentius apparet Eucharistiam esse vere sacrificium Christi et Ecclesiae, culmen « integri cultus publici mystici Iesu Christi corporis, Capitis nempe eiusque membrorum » (Cf. Const. *Sacrosanctum Concilium*, art. 7). Quando Missa cum populo Dei congregato (= Ecclesia) celebratur, Eucharistia clarius apparet « totius vitae christianae centrum » (Instr. *Eucharisticum mysterium*, n. 6) et culmen ad quod actio Ecclesiae tendit (cf. *Sacrosanctum Concilium*, art. 10).

3) Schema Missae « normative », sub respectu paedagogico consideratum, summam elementorum continet quae ad eruditionem fidelium non parum confert, ut ipsi, facilius quam in hodierno Ordine Missae, « mysterii fidei » plenam intelligentiam acquirant (Cf. *Eucharisticum mysterium*, n. 15).

Huiusmodi elementa sunt:

— clarior structura fundamentalis et traditionalis, demptis « quae minus bene ipsius liturgiae intimae naturae respondent, vel minus aptae factae sunt » (cf. *Sacrosanctum Concilium*, art. 21);

— harmonica partium dispositio;

— divitia textuum, qui e thesauro traditionis deprompti, vel ex novo confecti sunt;

— usus rituum et gestuum, qui simplicitate, nobilitate et perspicuitate decorantur (cf. Const. *Sacrosanctum Concilium*, art. 34).

4) Conatus quandoque facti sunt Missam « normativam » describendi Patribus Synodi Episcoporum luce omnino falsa, illam proponendo tamquam « affirmatio, in regione liturgica, errorum hodie diffusorum a theologia nova », ac si mediante Missa « normativa », minueretur in animis fidelium potestas sacerdotii ministerialis, totum sensum Missae transferendo ad conceptum Sacrificii a communitate oblatis.

Huiusmodi affirmationes omni fundamento carent et nullo modo sustineri possunt.

Missam « normativam » munus sacramentale celebrantis, qui « in persona Christi » agit, non minuit, quinimmo illud valde extollit, iuxta praeceptum Constitutionis Conciliaris de sacra Liturgia de proprio munere ab unoquoque servando: « In celebrationibus liturgicis quisque, sive minister sive fidelis, munere suo fungens, solum et totum id agat, quod ad ipsum ex natura rei et muneris liturgici pertinet » (art. 28).

In Missa « normativa », sacerdos celebrans omnia munera essentialia explet, quae charismata ex Ordinatione dimanantia extollunt, nempe officium *Praesidis* congregationis liturgicae et sacerdotis *ministerialis*. Orationes elata voce prolatae, non exclusa Eucharistica prece, ministerium verbi, confectio et dispensatio sacramenti clare ostendunt ipsum « ministrum » esse Christi, verbi, sacramenti, Ecclesiae congregatae ut cum ipso sacrificium offerat: « nos servi tui sed et plebs tua sancta ».

Proinde, hac nova dispositione rituum Missae « normativae », sicut et in ceteris ritibus ad quos reformatio liturgica attendit, habetur applicatio praeceptorum Constitutionis et logica evolutio instaurationis inceptae per Instructiones *Inter Oecumenici* (26 sept. 1964), et *Tres abhinc annos* (4 maii 1967).

SUMMARIUM DECRETORUM
QUIBUS DELIBERATIONES COETUM
EPISCOPORUM CONFIRMANTUR

(a die 1 aug. ad diem 15 oct. 1967)

EUROPA

Anglia-Cambria

Decreta generalia: 20 sept. 1967 (Prot. n. A 514/67) et 9 octobris 1967 (Prot. n. A 534/67): confirmatur interpretatio anglica Proprii Missarum pro diebus dominicis et festis de praecepto ac Praefationum Missae.

Austria

Decreta generalia: 18 sept. 1967 (Prot. n. A 512/67): usus linguae vernaculae conceditur in aliquibus partibus Missae, in lectionibus et in Praefationibus Pontificalis romani, textu adhibito a Conferentia Episcopali Germaniae iam approbato.

Cecoslovacchia

Decreta generalia: 5 oct. 1967 (Prot. n. A 530/67): conceditur ut cantus religiosi populares adhiberi valeant in celebratione Missae ad normam n. 32 Instructionis S. R. C., *Musicam sacram*, diei 5 martii 1967.

Germania

Decreta particularia:

Bambergensis (25 augusti 1967, Prot. n. A 481/67): confirmatur interpretatio germanica Missarum et Officiorum propriorum.

Limburgensis (20 sept. 1967, Prot. n. A 505/67): confirmatur interpretatio Germanica Missarum et Officium propriorum.

Vratislaviensis (20 sept. 1967, Prot. n. A 504/67): confirmatur interpretatio germanica Missae S. Hedvigis.

Helvetia

Decreta generalia: 18 sept. 1967 (Prot. n. A 510/67): usus linguae vernaculae conceditur in Canone Missae et in lectionibus divini Officii, interpretationibus adhibitis quae pro linguis germanica, gallica, italica et germanica Rhaetorum confirmatae sunt.

Hungaria

Decreta generalia: 13 sept. 1967 (Prot. n. A 479/67): confirmatur interpretatio hungarica Proprii Missarum a Conferentia Episcopali proposita.

Italia

Decreta particularia: confirmatur interpretatio italica Missarum propriarum dioecesium:

Agrigentinae (14 sept. 1967, Prot. n. A 490/67).

Amerinae (2 oct. 1967, Prot. n. A 525/67).

Arretinae (27 aug. 1967, Prot. n. A 364/67).

Bauzanensis-Brixinensis (11 sept. 1967, Prot. n. A 449/67).

Bergomensis (22 sept. 1967, Prot. n. A 460/67).

Boviensis (19 sept. 1967, Prot. n. A 498/67).

Calatayeronensis (29 aug. 1967, Prot. n. A 467/67).

Ecclesiensis (11 sept. 1967, Prot. n. A 461/67).

Forosempronensis (29 aug. 1967, Prot. n. A 483/67).

Ilcinensis (9 sept. 1967, Prot. n. A 468/67).

Lucensis (6 oct. 1967, Prot. n. A 532/67).

Massanae et Populoniensis (22 sept. 1967, Prot. n. A 515/67).

Monopolitanae (28 aug. 1967, Prot. n. A 457/67).

Ostunensis (11 sept. 1967, Prot. n. A 456/67).

Perusinae (31 aug. 1967, Prot. n. A 466/67).

Pinnensis-Piscariensis (18 sept. 1967, Prot. n. A 513/67).

Potentinae et Marsicensis (21 sept. 1967, Prot. n. A 503/67).
Praenestinae (29 aug. 1967, Prot. n. A 446/67).
Ragusiensis (11 sept. 1967, Prot. n. A 471/67).
Rheginensis (28 aug. 1967, Prot. n. A 442/67).
Urbinatensis (12 sept. 1967, Prot. n. A 447/67).
Vicentinae (13 sept. 1967, Prot. n. A 494/67).

Norvegia

Decreta generalia: 19 aug. 1967 (Prot. n. A 476/67): confirmatur interpretatio norvega ritus sacrarum Ordinationum.

ASIA

Corea

Decreta generalia: 30 aug. 1967 (Prot. n. A 484/67): usus linguae vernaculae conceditur in Canone Missae, et in sacramentis: Paenitentiae, Unctionis infirmorum, Confirmationis, in Communionem extra Missam et infirmis distribuenda, et in Benedictione Apostolica in articulo mortis.

India

Decreta generalia: 21 et 27 sept. 1967 (Prot. n. A 374/67; n. A 520/67): confirmatur interpretatio lingua konkani Missalis romani quae habetur in *Konkani Daily Missal* (ed. Catechetical Centre, St. Aloysius College, Mangalore 1966), et interpretatio lingua naga-lotha Ordinarii et Canonis Missae.

Laos et Cambogia

Decreta generalia: 15 sept. 1967 (Prot. n. A 477/67): confirmatur interpretatio lingua hmong Missalis romani.

Taiwan, Hong-Kong et Macao

Decreta generalia: 5 oct. 1967 (Prot. n. A 529/67): usus linguae vernaculae conceditur in Canone Missae, interpretatione adhibita quae a Conferentia Episcopali « Consilio » proposita est.

Thailandia

Decreta generalia: 26 sept. 1967 (Prot. n. A 515/67): confirmatur interpretatio popularis Proprii Missarum S. Annae, Transfigurationis D. N. I. C., S. Laurentii, Vigiliae Assumptionis B. M. V., S. Ioachim, Cordis Immaculati B. V. M., a Conferentia Episcopali proposita.

AFRICA

Africa Meridionalis

Decreta generalia: 15 sept. 1967 (Prot. n. A 506; et n. A 507/67): usus linguae vernaculae conceditur in Canone Missae et in ritu sacrarum Ordinationum; confirmatur textus ritus sacrarum Ordinationum pro Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis approbatus.

Malia

Decreta generalia: 13 sept. 1967 (Prot. n. A 476/67): confirmantur sequentes textus lingua bambara: Ordinarium Missae, Proprium Missarum a prima dominica post Pascha ad ultimam post Pentecosten, defunctorum, Assumptionis B. M. V., D. nostri Iesu Christi Regis, et festi omnium Sanctorum.

Malawi

Decreta particularia: *Mzuzuensis* (9 sept. 1967, Prot. n. A 469/67): confirmatur interpretatio lingua tumbuka praefationum Missae.

Ruanda-Burundia

Decreta generalia: 13 oct. 1967 (Prot. n. A 636/67): usus linguae vernaculae in Canone Missae conceditur et confirmatur interpretatio lingua kiruandensi Missalis romani, a Conferentia Episcopali proposita.

Uganda

Decreta particularia: *Morotoensis*: 4 oct. 1967 (Prot. n. A 528/67): confirmatur interpretatio lingua karimojong Proprii Missarum a dominica Pentecostes ad dom. XXIV post Pentecosten; pro Missis defunctorum et pro aliquibus diebus festis.

AMERICA

Bolivia

Decreta generalia: 16 sept. 1967 (Prot. n. A 489/67): usus linguae vernaculae conceditur in Canone Missae, in ritu sacrarum Ordinationum et in lectionibus divini Officii, interpretatione adhibita a Commissione mixta pro regionibus linguae Hispanicae apparata.

OCEANIA

Australia

Decreta generalia: 27 sept. 1967 (Prot. n. A 522/67; et n. A 521/67): usus linguae vernaculae in ritu sacrarum Ordinationum conceditur. Confirmantur interpretationes populares Proprii Missalis romani a Coetu Episcoporum Canadensium et Civitatum Foederatarum Americae Septentrionalis approbatae, ac interpretationes anglicae Pontificalis romani, ritualis, et excerptorum ex iis libris, a Conferentiis Episcoporum Angliae et Civitatum Foederatarum Americae Septentrionalis approbatae.

Oceania Meridionalis

Decreta particularia:

Apianae (12 sept. 1967, Prot. n. A 492/67): confirmatur interpretatio samoana Ritualis romani.

Suvanae (21 sept. 1967 Prot. n. A 511/67): confirmatur interpretatio lingua fijian Ordinarii Missae, ac praefationum de Sanctissima Trinitate et communis.

Tonganae: 29 augusti 1967 (Prot. n. A 482/67): confirmatur interpretatio lingua tonga doxologiae in fine Canonis Missae et Proprii Missarum a dominica VIII ad dominicam XV post Pentecosten et pro festis Visitationis et Assumptionis B. M. V.

Nova Guinea

Decreta particularia: *Daruensis* (29 aug. 1967, Prot. n. A 474/67): confirmatur interpretatio lingua motu Missarum propriarum.

SUMMARIUM DECRETORUM
QUIBUS CONFIRMANTUR INTERPRETATIONES
POPULARES PROPRIORUM RELIGIOSORUM

(a die 1 aug. ad diem 15 oct. 1967)

Ordo Servorum Mariae, 31 aug. 1967 (Prot. n. A 458/67); 13 sept. 1967 (Prot. n. A 491/67): confirmatur interpretatio gallica Missarum Propriarum et textus italicus « Gradualis simplicis » pro Missis propriis, ad usum minorum ecclesiarum.

Ordo Hospitalarius S. Ioannis a Deo, 21 sept. 1967 (Prot. n. A 502/67): confirmatur interpretatio lusitana Officiorum propriarum.

Societas Mariae, 14 oct. 1967 (Prot. n. A 537/67): confirmatur interpretatio anglica Officiorum propriarum.

Missionarii Sacratissimi Cordis Iesu, 13 sept. 1967 (Prot. n. A 480/67): confirmatur interpretatio anglica Officii proprii Dominae nostrae a Sacro Corde Iesu.

Actuositas Coetuum Episcoporum

LIBRI LITURGICI OFFICIALES

REGIONES LINGUAE HISPANICAE

Leccionario

Para todos los días según el Misal Romano.

Editor: Comisión Española de Liturgia y CELAM, 1967.

Typis: Biblioteca de Autores Cristianos, Madrid.

Textus a Commissione mixta pro regionibus linguae Hispanicae apparatus.

20,5 × 28,5 cm., pp. 609 + (116).

CONTENTUM: Propio del tiempo: tiempo de Adviento, tiempo de Navidad, tiempo de Epifanía, tiempo « per annum » antes Septuagésima, tiempo de Septuagésima, tiempo de Cuaresma, tiempo de Pasión, Semana Santa, tiempo de Pascua, tiempo de Ascensión, tiempo « per annum »; Propio de los Santos; fiestas del Señor; Fiestas de santa María Virgen; Común de los Santos; Dedicación de una Iglesia; Común de fiestas de la Santísima Virgen; Misas votivas; Misas de difuntos.

Leccionario

Editor: Comisión Episcopal Española de Liturgia y CELAM, 1967

Typis: Editorial Litúrgica Española.

Volumen II: Ferial y Santoral.

20,5 × 28,5 cm.

Textus apparatus a Commissione mixta pro regionibus linguae Hispanicae.

CONTENTUM: Propio del tiempo; Propios de los Santos; Común de los Santos; Fiestas del Señor; fiestas de la Santísima Virgen María; Misas votivas.

INCEPTA AD INSTAURATIONEM LITURGICAM MODERANDAM

ROMA

NORME PER LA CONCELEBRAZIONE NEI SEMINARI E COLLEGI ECCLESIASTICI

*Libenter edimus has normas, quae etsi Romana Seminaria et ecclesiastica Collegia respiciant, cum de mandato Summi Pontificis utpote Romani Episcopi statutae fuerint, optime inservire possunt Ordinariis locorum, ut quid simile pro suis dioecesibus, pro opportunitate, decernant*¹.

Allo scopo di stabilire una norma uniforme per la concelebrazione del Divin Sacrificio nei Seminari, Convitti e Istituti Ecclesiastici di Roma, secondo l'augusto desiderio del Santo Padre, questo Vicariato dispone:

I. Negli Istituti, che ospitano *soltanto sacerdoti*, la concelebrazione potrà aver luogo anche ogni giorno, alle seguenti condizioni:

a) sia preferita e assicurata in primo luogo l'assistenza spirituale ai fedeli della diocesi romana: pertanto, nei giorni festivi, i sacerdoti dei menzionati Istituti, previo accordo dei rispettivi Rettori con questo Vicariato, abbiano a cuore di esplicare il sacro ministero preferibilmente nelle parrocchie e cappellanie della periferia; e, nei giorni feriali, di celebrare la S. Messa nelle parrocchie e chiese della città, o presso le Comunità religiose;

b) poiché la S. Messa celebrata dai singoli è la forma normale e più abituale di celebrazione liturgica nella vita pastorale, se ne conservi il significato, la stima e la pratica, provvedendo che i sacerdoti, i quali non partecipano alla concelebrazione, abbiano facoltà e comodità di celebrare ognuno singolarmente;

c) i Rettori curino che gli alunni sacerdoti dei loro Istituti, alcune volte alla settimana, concelebrino, o celebrino singolarmente, secondo un turno prestabilito. I Superiori degli Istituti diano l'esempio di entrambi i modi di celebrazione. Nella concelebrazione è opportuno che i sacerdoti si avvicendino nell'ufficio di celebrante principale;

¹ *Rivista diocesana di Roma*, 8 (1967) 971-973.

d) nella concelebrazione si osservi con esattezza il *Ritus servandus in concelebrazione Missae*; se ne accresca la dignità e l'afflato spirituale impiegando le varie forme consentite di celebrazione, e anche il canto variato di qualche parte dell'Ordinario o del Proprio; non manchi, abitualmente, l'omelia, anche se breve;

e) nelle istruzioni spirituali si illustri di frequente il valore teologico e ascetico della concelebrazione, come manifestazione dell'unità del sacerdozio, e mezzo efficace di raccoglimento e di unione fraterna nella comunità sacerdotale. Si ponga altresì in luce la necessità pastorale della Messa celebrata singolarmente, e insieme il senso teologico e spirituale che essa riveste per mantenere solida e nutrita la pietà del sacerdote.

II. Nei Collegi, o Seminari, che accolgono soltanto, o prevalentemente, candidati al sacerdozio, la Messa si celebri nelle diverse forme, che meglio mostrino i vari compiti della assemblea liturgica e fomentino l'attiva partecipazione di tutti gli alunni; è desiderabile, inoltre, che gli alunni siano guidati e avviati alla celebrazione nelle diverse forme, che un giorno dovranno attuare nel ministero sacerdotale.

Perciò, il Rettore del Seminario avrà cura che la Messa quotidiana, alla quale partecipano gli alunni, sia celebrata, a seconda del giorno liturgico, delle circostanze e occasioni particolari, in tutte le forme consentite: Messa letta, cantata, solenne, pontificale, concelebrazione.

III. Negli Istituti, infine, in cui chierici e sacerdoti vivono in una sola comunità, il Rettore si studierà di provvedere nel modo migliore alle esigenze degli uni e degli altri. La concelebrazione potrà essere più frequente, ma non esclusiva: infatti la partecipazione dei chierici alle varie forme di celebrazione deve effettivamente assicurare in questo campo la loro completa formazione sacerdotale.

Le suddette norme andranno in vigore il 1° novembre 1967.

LUIGI, *Card. Vicario*

Guglielmo Giaquinta, *Segretario*

« Consilii » sodalibus, peritis, amicis, in Natali Domini et pro adveniente anno 1968 quamplurima ex corde fausta ominamur.

III CONGRESSUS MUNDIALIS APOSTOLATUS LAICORUM

I. DE LITURGIA IN CONGRESSU

Una ex notis characteristicis III Congressus Mundialis Apostolatus laicorum, Romae celebrati diebus 11-18 octobris 1967, fuerunt celebrationes liturgicae generales et particulares, omni cura praeparatae, ita ut essent centrum vitae Congressus, adunati ad studendum problematibus, meditatione verbi Dei et realitatis humanae ac oratione.

Ratio quo concepta est liturgia Congressus, quae consensum enthusiasticum etiam Observatorum Communitatum Ecclesialium non catholicarum habuit, deduci potest ex sequenti praesentatione Secretariae Congressus.

Le Congrès est une assemblée de croyants, réunis ensemble au nom du Christ, pour entendre l'appel que Dieu adresse à son peuple au moment même, et pour répondre à l'action de l'Esprit qui guide le peuple de Dieu vers le témoignage renouvelé d'amour qu'il doit porter, concrètement, partout où cheminent les hommes.

Le Congrès a été rassemblé pour étudier les problèmes du monde d'aujourd'hui. Il se met à l'écoute de la Parole de Dieu pour comprendre l'histoire de notre temps et la situer dans le déroulement du plan de Dieu en vue du progrès des hommes et de leur salut éternel. Dans son souci de servir, en répondant aux besoins d'aujourd'hui, le Congrès, par la prière, se fait docile à l'action de l'Esprit-Saint, afin que par ses choix et ses engagements, il puisse être une expression authentique de la charité du Christ.

Réunissant des représentants de tout pays, de toute langue, de toute culture, de tout groupe social, le Congrès exprime et renforce son unité en participant à l'Eucharistie. Dans la Nouvelle Alliance, dont le rite eucharistique est le signe sacramentel, il indique la voie et la forme d'unité de la famille humaine. Pour réaliser ses objectifs, le Congrès devient une assemblée célébrant la liturgie.

La liturgie du Congrès

Les célébrations sacrées ne sont pas des moments religieux à côté des travaux du Congrès. Elles sont partie intégrale du programme du Congrès, et inspirent toutes les autres activités. Les lectures bi-

bliques et les prières se rapportent aux thèmes qui seront étudiés et discutés pendant le Congrès.

Par la fonction assignée à la liturgie, et par les formes dans lesquelles elle est célébrée, le Congrès veut refléter un aspect décisif du renouveau de l'Eglise. C'est dans ce but qu'ont été obtenues des permissions spéciales du *Consilium ad exsequendam Constitutionem de sacra Liturgia*, pour composer les textes de certaines des Messes — autant du moins que le permettent l'actuelle réforme liturgique et les conditions particulières de ce vaste rassemblement.

Liturgie catholique et œcuménique

La diversité des langues et des cultures exprime et proclame la catholicité de l'Eglise, même et surtout dans la liturgie. Dans les célébrations du Congrès, les traditions liturgiques orientales et occidentales sont toutes deux présentes, et il y a place pour les différentes langues, selon les exigences d'intelligibilité et de participation commune.

